

Anglos & Gallos nihil non effecturos, ut difficillimo bello Hispani detinerentur, quo eorum opibus ac militibus exhaustis, tot regnorum, quæ possident, vires roburque libidine dominandi in alios Principes non converterent. At res secus ac putabatur (ut plerumque fallacia hominum judicia ac lubrica sunt) accidit. Nam qui maxime concordiae inter Hispanos ac Batavos repugnaturi credebantur, aliasque vehementer obstiterant, illi ad eam perficiendam sequestri atque adiutores exstiterunt. Neque in id fortuito Reges descendisse, qui rerum humanarum experientia pollebant, arbitrabantur, sed Jacobum Britanniae Regem in nova Angliæ amplissimi regni accessione stabilienda domi occupatum, quique in pacem semper insito quodam genio ferebatur, & nuper cum Hispano (adversus quem Elisabetha acerrime dimicaverat) concordiam iniisset, curis quietem, bello sumptuum levamen anteferre voluisse: Henricum vero magna semper invicto animo meditantem, suis rebus & consiliis haud parum conducere existimasse, si veteranis copiis armorum usu ac virtute, vel in conferendis præliis, vel in expugnandis urbibus exercitissimis, quas in lateribus Galliae alebant, Hispani, pace cum Batavis icta, exuerentur.

Itaque cum Philippus in Galliam Petrum Toletanum misisset, qui & connubia filiae Henrico proponeret, atque ut in pace cum Batavis firmanda sequestrum adhibere se vellet, postularet; Rex, ut immaturum connubium esse affirmavit, ita pro pace enixum pollicitus, Petrum Janinium præsidem ac intimi consilii præconsultorem ad Batavos mittit; Buxenvallium, multos annos ejus nomine apud Batavos agentem, socium adhibet; eoque vita functo, Russium sufficit. Britanniae vero Rex Richardum Spencerium, oratorem, eodem proficisci jubet. Variæ interim sententiæ inter Batavos dispergebantur. Erant inter eos qui in Hispanos incitati, admodum id nomen, nedum negotium averfarentur: fallax, plausibile pacis nomen, insidiosum, bello ipso funestius; aurum Hispanicum in Bataviam penetrasse, desides nonnullorum animos arma abjecisse: quos bello prosternere Hispani nequiverint, pace subacturos. Contra alii, post tot exantlatos labores, post per tot annos strenue ac fortiter defensionem armis libertatem, aliquando cessandum,

*Petrus Toletanus ad Galliae Regem orator.*

*Petrus Janinius, Gallus orator ad Batavos*

*Richardus Spencerius, Anglus orator ad Batavos.*